

## Vbi describitur historia conceptionis et natiuitatis Christi?

[64:] De conceptione inquit angelus ad Mariam Luc. 1: „Spiritus sanctus veniet super te et virtus Altissimi obumbrabit tibi“<sup>109</sup> et ad Ioseph: „Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.“<sup>110</sup> Natiuitatis historia describitur Luc. 2: „Cum Ioseph et Maria esset in Bethlehem, impleti sunt dies eius, vt pareret 5 et peperit filium suum primogenitum“, de quo angeli annunciant: „Ecce, euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis obuolutum et positum in praesepio.“<sup>111</sup>

Quare Spiritu sancto conceptus et  
ex virgine natus est?

10

Angelus causam exprimit Luc. 1: „Quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei.“<sup>112</sup> Ideo enim de Spiritu sancto sine virili semine de pura et immaculata virgine natus est Filius Dei, vt sciamus hominem factum esse sine [65:] peccato, quod caeteri homines nati ex carnali propagatione secum in 15 hanc lucem afferunt.

## Cur fit mentio expressa Maria matris Christi?

Non solum propter certitudinem historiae, sed etiam, quia praedictum erat Messiam nasciturum esse ex stirpe Dauid, ex qua Mariam ortam fuisse certum est.

20

Quid profitemur in symbolo de maxime conspicuo actu  
humiliationis Filij Dei in passione?

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.

---

<sup>109</sup> Lk 1,35.

<sup>110</sup> Mt 1,20.

<sup>111</sup> Lk 2, 6f.10–12.

<sup>112</sup> Lk 1,35.